tum sacramentis sine illo verbo sanctificatur. quod sive sola fide sive ex fide et prolatione verborum invocatum omnem sanctificationem operatur.

De aqua benedictionis vel que cum sale benedicitur.

Alexander papa quintus a beato petro constituit ut sal et aqua benedicerentur ad aspergendum populum et habitacula eorum. illo utique exemplo quo heliseus propheta sal in aquam misisse legitur. ut hoc condimento fontes amari in dulcedinem verterentur. Hac igitur aqua sanctificata fideles asperguntur et habitacula fidelium lustrantur ab illusione et infestatione malignorum spirituum. Hec aqua fletum lacrimarum quod aqua penitentiam significat. sal discretionem et cautelam designat. que duo si simul misceantur amara conscientia in dulcedinem vertitur. atque illusiones et infestationes demonum amplius non dominantur. Nostri itaque superdictam institutionem secuti per singulos dies dominicos sal et aquam simul miscendo benedicimus ut hac aspersione fideles et habitacula fidelium tam corporalem quam spiritualem nequitiam evitent.

Ecclesiastica institutio fuit

De susceptione cinerum.

cum per singulos annos in initio quadragesime quod caput ieiunii dicitur IIII. feria. quando ieiunium notum suscipitur. cinis consecratus capitibus fidelium imponatur. scilicet ob recordationem mortalitatis nostre et immortalitatis hominis que ex habitu penitentie et recordatione peccatorum suorum ad devotionem compungatur. et per memoriam conditionis sue humilietur. propter quod ei dicitur. Memento quod cinis es. et in cinerem reverteris.

Habet etiam ecclesiastica

De ramis palmarum et frondibus benedicendis.

consuetudo in dominica que proxima est ante sollemnitatem paschalem ramos palmarum et frondes arborum benedicant. et populo portandi distribuant. in signum eorum qui domino ihesu eodem die hierosolimam ascendenti cum ramis palmarum et frondibus arborum virentibus cantantes et laudantes occurrerunt. Hinc ergo non solum nobis id quod illi tunc corporaliter faciendum proponitur. sed id potius quod in illo vel in isto corporali facto spiritualiter imitandum significatur. palma quippe signum victorie est. Rami virentes bona opera significant. Illi ergo christo cum ramis palmarum et frondibus laudantes occurrunt qui